VIA

Ad Culmen Doctoralis in Sacra Theologia Honoris

Meritîs, Virtutibûs, ac Sapientiâ

PERILLUSTRIS CLARISSIMI

& ADMODUM REVERENDI DOMINI

D. M. JOANNIS JOSEPHI RYGALSKI,

Sacræ Theologiæ LICENTIATI, Cursûs Polemici PROFESSORIS, COLLEGÆ Majoris, Lanciciensis CANCELLARII, Ecclesiarum; Collegiatæ S. FLORIANI Clepardiæ ad Cracoviam CANONICI, Parochialis Vetero-Corcinensis CURATI, Univesitatis Generalis PROCURATORIS, Contubernii Geloniani PROVISORIS,

TRITA,

& dum
in Ecclesia Collegiata Divæ ANNÆ
a
PERILLUSTRI CLARISSIMO
& ADMODUM REVERENDO DOMINO

D. M. ANTONIO KRZANOWSKI,

Sacræ Theologiæ DOCTORE & PROFESSORE Ejusdemq; Facultatis DECANO, Almæ Universitatis Seniore PATRE, Ecclesiæ S. FLORIANI Clepardiæ ad Cracoviã PRÆPOSITO, S. JOANNIS CANTII PROCURATORE, Contubernii Hierosolymitani PROVISORE.
applaudente frequentissimo Distinctissimorum Hospitum Senatus Academici consessu
Sacræ Theologiæ DOCTOR
laudatissima solennitate
crearetur ac renuntiaretur;
Officiosissimô calamô
M. NEPOMUCENI MARTINI TRĄBSKI,
Philosophiæ Doctoris, Scholæ Rhetorices in Collegio Novodvorsciano Professoris, Contubernii Geloniani Senioris.

DELINEATA.

Annô quô
VIa * reCta è CæLIs MVnDo apparVIt.
* Joan: 6. *Die Martis 9. Februarii.*

CRACOVIÆ, Typis Seminarii Episcopalis Academico-Diœcesani.

VIA

Ad Culmen Doctoralis in Sacra Theologia Honoris.

Quod à DEO Optimo Maximo precatus fueram, semperq; ardentissimîs exorabam votîs, id, cùm ordinatione Divina suum sortiri effectum, comperio, incredibili supra modum gestiens lætitia, exigua hac in pagella, & gaudiorum exundantem ubertatem, & inenarrabilem gratæ mentis testificationem exhibeo PERILLUSTRIS CLARISSIME & ADMODUM REVERENDE DOMINE NEO-DOCTOR. Cùm equidem jam Culmen Theologici Honoris maturîs Virtutum meritorum ac Sapientiæ adivisti passibûs, jamq; in eo feliciter consistis; quis quæso Tuorum Clientum tam saxeus foret, cujus cor speciale non conciperet gaudiũ, ora ad votivas non animarentur acclamationes, manus ad publicos nõ moverentur plausus, tota deniq; corporis symmetria ad significandum internum non componeretur oblectamentum; imò quantumvis

ſaxeus ſit, eundem, niſi frigore ingratitudinis correptum ſe teſtari velit, ſcintillas ad repercuſſionem tam optatæ vocalium plauſuum echonis omnino prodere oportet. Nam ſi ſenſu Romani Oratoris: in referenda gratia debemus imitari fertiles agros, qui plus multò afferunt, quàm acceperunt, profectò, ſicut mea fert opinio, ſterileſcentem Tibi præmeferrem animum, qui, ut verum fatear, favore Tuo, quum adhuc primîs labrîs guſtâram Literas, me gloriari permiſiſti, niſi fructum, utì ſemper optimè mereri de Te exoptantis, ſic in præſentiarum bona parte congaudentis voluntatis, Tibi reddere favente tam plauſibili occaſione contenderem. Foveram quidem obligato pectore intaminatam animi gratitudinem pro ſingulari Tua erga me benevolentia, quam licèt aliquoties ore tenus teſtificari non tardaverim, pridem tamen cogitaveram, quonam modo eandem etiam publicè ſignificare poſſem, nunc primûm optatus votis correſpondet eventus, cùm Tibi iſthanc Sacri acceſſionem Honoris gratulari mihi conceſſum. Si enim in eos, quos ſperamus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre, quales debemus

bemus in eos esse, qui jam prosuerunt. Smieszkovianum Contubernium Tuum, nam Tua protectione viget, Tuâ gratiâ conservatur, deplorandam, verùm nunquam lachrymis purgandam sibi appingeret maculam, si Provisori ac Protectori suo debitum gratitudinis non exsolveret tributum. At verò, cùm muta gratulatio ab ingratitudine parùm differre censeatur, meritò inter festivas Summorum Hominum & Reipublicæ Literariæ congratulationes etiam isthæc Oratio nostra nuda quidem & exigua sed candida & simplex videri prætendit. Non ea complectetur laudes Tuas, quæ summæ, Tibi stipendiariæ sunt, non eruditam Virtutem & magna in Ecclesiam ac Orbem Literarium merita debitîs celebrabit præconiîs, quæ sola vetant mori; nam & innatæ Tuæ modestiæ vulnus infligeret, & oleum ac operam perderet, cùm etiam omnibûs tacentibûs publica meritorum Tuorum fama vocalissima audiatur, & laudatissimæ actiones communi Ecclesiæ & Academiæ bono impensæ ita nomen Tuum deprædicant, ut vectigalem Oratorum svadam penitus exigere non videantur. Non eges itaq; elogiîs, cùm totus Elogium sis,

cùm

cùm tot magnarum dotum æſtimatores habeas, quotquot nobilitatem eruditi animi Tui notam perſpectamq; habent, tot Virtutum Tuarum celebres nanciſceris Præcones, quotquot Viri au horitate Summi, dignitatum ſplendore ornati, non vulgari ſapientiæ gloriâ clariſſimi, incredibile illud ingenii Tui robur, atq; vaſtiſſimam mentis capacitatem admirantur. Unde non ego quæram ementita virtutum ornamenta, cùm ipſa virtus veriſſima ſibi laus ſit. Laborent hoc defectu rudes lapilli, qui ut hominibus jucundiores videantur, ab artificis manu fictam gratiam & emendicatum ſplendorem exigunt, verùm genuini roris Cæleſtis partus uniones proprio commendantur pretio, neq; mendacem elegantiam ab ingenioſa præſtolantur arte. Referam ergo tantùm hoc, ex quo univerſis vitam Academicam vivere eandemq; ornare cupientibus exemplum & imitatio, ex quo Contubernii Tui gratum obſequium, mea deinceps propenſiſſima voluntas ac officiorum ſignificatio capiatur. Viam nimirum ad Culmen Doctoralis in Sacra Theologia Honoris Tuîs meritîs, virtutibûs, & ſapientiâ tritam purô & ſimplici verborum pe-

nicil-

niciliĉ delineato, quam meô judiciô non solùm subsequentibus sæculis normam, verùm etiam admirationem allaturam spero.

Inter ampliores vias, quibûs ad augustam Honoris itur Ædem, duas præcipuas, verùm omnino diversas magistra experientia nobis indigitat, alteram cæcæ & inconstantis fortunæ, alteram Sapientiæ, meritorum ac virtutum. Illa quemadmodûm ductricem suam habet luminibûs orbam, dolis instructam, perfidam, ipsîsq; duntaxat casibûs stantem, sic tota errans, fallax & periculosa est; unde qui eâ gradiuntur, licetsi plerumq; cum suo & aliorum stupore in auge titulorum sistant, nihilosecius semper dubii, adeoq; nunquam securi sui Honoris fiunt Possessores. Elevantur in altum, ut inde casu graviore ruant, ornantur dignitatibûs, ut tandem Orbi majori exponantur ludibrio, præeminent aliis, ut inter ultimæ sortis homines cum vix tolerabili sui opprobrio miseriores spectari valeant, & cùm interdum Ostro rubent; movent bilem in Promotrice sua, quæ ad aspectum Purpuræ more Elephantum excandescit, ac in eos, quibus evidentiùs favere visa, atrociùs sævit.

Non

Non nôrunt has infelices viciſſitudines, qui Viâ virtutum ac meritorum incedunt, nam hæc ſicut ſupra lubricum inſtabilis fortunæ evecta, ita ſemper ſecura, ſemper decora, ſemper celſa exiſtit, nec ſuos Viatores quandoq; periclitari ſinit. Teratur perfectionum ac Sapientiæ paſſibûs, oportet, facillimè ad Templum Honoris deducet, in quo ita immunis quies, ut eam tam fulmina malignantis ſortis, quàm turbulenti fatorum Aquilones perturbare ac impetere nequaquam præſumant.

PRævidiſti id optimè PERILLUSTRIS DOMINE NEO-DOCTOR: idcirco totam vitam Tuam adeò prudenter direxiſti, ut ex ea Viam meritîs, virtutibûs, ac Sapientiâ tritam confeceris. non eo quidem animo, ut Culmen hujus Sacri adires Honoris; Humilitas enim fundamentum virtutum modeſtiæ conjuncta à primis adhuc annis ſic in Te eminuit, acſi in Tuam tranſiret naturam. Unde cùm jam cuncta laborum Academicorum Olympia palmari emenſus fueris paſſu; poſt conſummatum ſudorũ & curarũ curſũ ſub Theologicâ Lauream tanquam Coronam juſtitiæ ex æquo Tibi debitam, niſi perſvaſione Patrum motus emerita

ſubmit-

ſubmittis Tempora; bene memor illorum Cæleſtis Magiſtri verborum, quæ Tibi tum in regulam morum, tum in commune ceſſere proverbium: *cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis dicite: ſervi inutiles ſumus.* Quò verò laudatiſſimarum Tui actionum glorioſiores forent progreſſus, dum jam ſortitus fuiſſes eam indolem, per cujus præclaros ad virtutem impetus ſtatim proditum erat, quòd cum Anima ſummam promptitudinem ad celeberrima quæq; geſta accepiſti, vernantem ætatem, cui communi hominum conſuetudine, & quadam prope ipſius naturæ tacita lege major quædam licentia permitti ſolet, non turpi otio, non animi remiſſionibus, non puerilibus ludicris, verùm honeſto labori, qui ſolus bonæ famæ Pater eſt, comparandæ virtuti & ſcientiæ, quæ ipſæ hominem à brutis diſtingvunt & DEO quodammodo aſſimilant, dediſti, obtuliſti. Atq; inde eſt, quòd aureos iſtos perfectionis & eruditionis fructus, quos ad nunc in feraciſſimo omnigenæ probitatis vitæ Tuæ autumno demiramur, in flore ætatis jam omnes ſuſpicabantur, palamq; in adoleſcentia Tua ad quæq; optima & honeſta compoſita, velut

in herba ostendisti, quæ ingenii maturitas, quantævé fruges industriæ Tuæ essent futuræ. Devovisti maximorum capacem animum Tuū bonarum Artium studiis, in quibus ob sagax ingenium & operam diligentem brevi sic profecisti, ut non Discipuli sed Magistri locum obtinere videreris; verùm non minori conatu virtutum continuâsti exercitium, nam scientias ignorare malles, si strictum cum virtute nexum non haberent. Quare inter præcepta Artium, regulas sanctè vivendi investigâsti anxiè, atq; sic illa prmptitudo memoriæ incredibilis, perspicacia mentis admirabilis, celeritas ingenii matura, capacitas animi felix ex intensione virtutum ortæ, Te omni difficultate superiorem, omni profunditate altiorem, omni subtilitate acutiorem reddiderunt. Cùm ergo tam illustres in perfectionū ac Literarum studio fecisses progressus, & ille innatus animi vigor Tuam egregiam indolem ad majora ac majora efficaciùs permovisset, Academicis supportandis laboribus robustos supposuisti lacertos, cùm eruditæ Caput Tuum submisisti Laureæ (a) Publicum hoc Sapientiæ Theatrum meritò Virtuti Tuæ debebatur, ut quæ nusquam latere dici-

(a) Annô Domini 1738. ad primam Lauream promotus.

didicit, ibi clarissimos Cælô dignarum actionum diffunderet radios, unde non exiguum veræ eruditionis lumen in totum Polonum Orbem derivatur. Et jam fortunato sydere honorificam æquè ac asperam laborum Academicorum terere Viam cæpisti, in qua quotquot formâsti gressus, tot gloriosa maturæ virtutis ac eruditionis vestigia reliquisti. Cursu isthoc scientifico per triennium à Te irrequietè tractato Doctoralem Magisterii Liberalibus in Artibus adivisti Laurum (b) qua uti Soli sacrata redimitus, Solis imitabaris naturam, aliàs quò sublimiorem occupavisti locum, eò operosiorem ac in agendo fortiorem Te probâsti. Hinc quoties eruditum decertaturus certamen Literariam descenderas in arenam Philosophus, toties gloriosus post confecta prælia Victor evasisti, non priùs tamē à victis recedebas, donec ex Tua victoria, ne vinceretur posthac didicerint. Tradebas ex Cathedra Philosophica Lectiones Professor vigilantissimus, & cùm æquè fueris facilis ac felix in docendo, quotquot Auditores nactus fueras, tot de abstrusis difficultatum, de labyrintho dubiorum, de tenebris

(b) Annô Domini 1741. Doctor Philosophiæ & Magister in Artibus Liberalibus creatus.

ignorantiæ eductos in luce eruditionis ſtitiſti. Neq; verò Cathedras duntaxat ſolidâ exornâſti doctrinâ, publica etiam Roſtra dulciſſimô Tui reſonabant eloquiô. In Doctore Seraphico Bonaventura Diviniſſimo Virtutum oſtendendo Nexum (c) miras Stanislai Caſimiritani dotes (d) publicîs concelebrando encomiîs, non boni ſolùm aſt optimi Oratoris notas adamuſſim implêſti.

Perſpexerunt iſtas nobiliſſimas animi Tui qualitates primi Academiæ Patres, ipſaq; Univerſitas talem tantumvé plurimùm ſibi gratulata eſt Virum, Qui ut non unam par eras ornare provinciam, ita ſingula ſe ſe offerentia munera ea alacritate complectebaris, quæ ſtudioſiſſimos boni communis decet amatores, ea dexteritate perficiebas, quæ optimis Reipublicæ Literariæ Civibus ingenita eſt. Nulli labori manum quandoq; ſubtraxeras, indignū Viro Academico reputans laborem timere; ſed quòcunq; Te vota Patrum obedientem filium vocarent, ſive Cathedræ Doctorem invitarent, ſive Roſtra Oratorem poſcerent, ſive

hinc

(c) Annô Domini 1744. pro laudibus S. Bonaventuræ publicam Orationem habuit.

(d) Annô Domini 1745. pro laudibus D. Stanislai Caſimiritani publicè peroravit.

hinc remotiores Scholæ Professorem ultrò ad se pertraherent, semper lætus, semper alacer non ibas sed volabas amore publici commodi alas ministrante. Missus ad Academiam Posnaniensem ut inibi cognitionem rerum Divinarum humanarumq; avidis sciendi instillares animis, eam eruditionem quam ex hoc Fonte hausisti, uberrimè ad illum Rivum diffudisti, dum Cursum Philosophicum satis selecto & numeroso Auditori toto sexennio repetitis vicibûs tradidisti. Cursus hic utpote bis de die legi consvetus, suisq; Disputationibûs quovis Mense absolvi solitis satis arduus licèt integrum requirat Virum, Tu sic Te ei integrum dedisti, ut etiam ad alios pro gloria Gentis togatæ labores quà domi quà foris susceptos integer esses. Integrum Te repererunt Disputationes publicæ præsentibûs magnis Hospitibûs peractæ Tuam dexteritatem testificantes, eæ nihilominus singulariorem Tibi adjunxere plausum, & Lubransciana Pino vigorem honoris auxere, quarum Theses in facie Illustrissimi illius Capituli ac frequentissima Distinctissimorum Hospitum Corona, aliæ à Perillustribusq; Reverendissimis Prælatis Cathedrali-

bus

bus (e) aliæ à præclaris Viris pro authoritate Nominis Pontificii oppugnatæ, hæ Illustrissimo olim & Reverendissimo Domino JOSEPHO *de Werbno* PAWŁOWSKI Episcopo Niochensi, Officiali Generali Posnaniensi, illæ Illustrissimo olim & Excellentissimo Domino VLADISLAO *à Szołdry* SZOŁDRSKI Palatino Inovladislaviensi Generali Majoris Poloniæ, Viris, ùt vetustate Prosapiæ, Principum Nominum connexione, maximîs de Ecclesia & Patria promeritîs commendatissimis, ita de Literis & Literatis meritissimis illius Academiæ Patronis & Protectoribus Amplissimis eruditæ Tuæ Virtutis Æstimatoribus æquissimis dicatæ. Quàm autem crebrò in omnibus Sacris Ordinibus publicè disputandi suscipiebas provinciam, susceptam cum quanta peragebas gloria, quàm facilis in proponendo, acutus ac solidus in argumentando, clarus in explicando esses, vel ex hoc facilè quisq; colligere potest, quòd omnes Sacrarum Familiarum Professores Te sui Decanum nominârint. Gemmeo verborum apparatu ornandæ erant publicæ Divorum Exedræ, Sacris

(e) Theses Illmo Palatino dicatas oppugnârunt Perillustres & Reverendissimi Domini Laurentius *de Wybranowa* Swinarski Ecclesiæ Cathedralis Posnaniensis Custos, & Joannes Krall J.U.D. Ecclesiæ ejusdem Canonicus

Sacrîs Ecclesiastici suggestus laudibûs persomare debuerant, solennes instituendi Regni Proceribus plausus, integrum Te illis dedisti, & sic ex asse unicuiq; respondisti muneri, acsi eidem omnino soli vacâsses. Laudum Aquinaticarum Abysso profundissimos adjiciendo sensus, eoq; ipso Angelicum Doctorem *Insolubile Argumentum* captivata in obsequium Eidem & de animis Auditorum triumphante Eloquentia demonstrando. (f) binîs vicibûs sapientiam & virtutes Cantianas celebrando, (g) ferventissimum in Sancto Philippo Nerio amorem Dei ostendendo, hoc probâsti, quod etiam in dexterrimo Philosopho summos Oratores possumus admirari. Sacra Pulpita videntur adhuc Tuam divulgare famam (h) ex quibus Verbi Divini Præco persæpe laudes Cælituum auxisti ad Auditorum imitationem, heroicas recensuisti virtutes ad ædificationem, in peccata tonuisti ad terrorem. Navis Szołdrsciana (i) Cui in Altum Palatinalis Honoris eve-

ctæ

(f) Pro laudibus Doctoris Angelici habuit Orationem typo impressam cujus propositio: Argumentum Insolubile.

(g) Pro laudibus S. Cantii & S Philippi Nerii aliquoties peroravit.

(h) Pro principalioribus solennitatibus pluries concionabatur tam Posnaniæ quàm extra.

(i) Panegyrim Inauguratoriam Illustrissimo olim ac Excell: Dno Szołdrski ad ascensum in Curulem Palatin: Posnan. dicavit.

ctæ Oratoriæ plausuum addidisti vela, ingeniô partam Nominis Tui gloriam refert. Quid tandem dicam de ulterioribus meritis & laboribus? nonne summa cura sollicitudo & vigilantia patuit? cùm Szoldrsciani Contubernii ultra triennium Præfectus integrum Te præbuisti huic, ut tenera inclytorum Juvenū ingenia ad recti honestiq; amorem præceptîs, adhortamentîs, exemplîs diligenter formares. Et feliciter successit Tibi isthæc animorum cultura, ex qua Ecclesiæ & Patriæ aurea Virorum messis adolevit. Cùm enim optimè nôsses nihil esse fœdiùs Superiore inconsulto, qui cùm debeat esse mansvetus & humilis ad omnes, è diverso, si torvo vultu, trementibûs labiîs, rugosa fronte, effrenatîs conviciîs, facie inter ruborem palloremvé variata, clamore perstrepat, non tam ad bonum trahit, quàm ad malum suâ sævitia præcipitat; hinc est quòd nunquam aut tristem austeritatem nimiumq; rigorem, aut ultra modum abblandientem comitatem vel noxiam conniventiam præteferres, sed graviter ad amænitatem composito vultu ingenuam Juventutis indolem suavissimô amoris imperiô ad quæq; optima, quæq; ho-

nesta

neſta & invitabas & urgebas. Viderunt hæc magna in Te dona IlluſtriſſimiPalatinatûs Poſnanienſis Dignitarii, idcirco Profeſſorali Tuæ curæ ſui Nominis Pignora dilectos Filios commiſerunt. (k) Qui quantum ex privata Tui inſtitutione profecerint, glorioſa Eorum geſta ſufficiens exhibent teſtimonium. Viget adusq; gratiſſima Tua in illis partibus memoria, hæret in eorum animis dulcis Nominis Tui recordatio, quos perenni Tibi obſtrinxeras obligatione. Nemo eſt illorum liberaliter à Te educatus, cui non Tua fidelis inſtitutio, cui non ſalutaria monita, cui non locus ille mutus, qui pulcherrima Tui reſonabat eruditione, cum grata commemoratione in mente verſetur, Bonum commune ſemper præferebas privatô, unde quoties publici commodi ratio exigere videbatur, non viribus, non fortunæ, non caræ deinceps ſanitati parcere voluiſti. Tuorum ejusmodi geſtorum teſtis eſt (l) illius Academiæ Typographia, teſtis jam nominatus Szołdrſcianus Convictus, quorum Præfectum ob amo-

 rem

(k) Illmus Dńus *Caſimirus Raczyńſki* Capitaneus Czervonogrodenſis, S. Staniſlai Eques Palatinatus Poſnanienſis & Caliſſien: nuper Confœderati ad Comitia Electionis Mareſchalcus. & Perilluſtris Rńdmus Dńus *Joſephus Glaubicz Rokoſſowſki* Eccleſiæ Cath: Poſnan: Canonicus &c. eo tempore Diſcipuli Perilluſtris Domini *Neo-Doctoris.*

(l) Præfecturam Typographiæ ultra biennium gerens, multum ei de proprio profuit

rem publici Boni agens, eosdem ad meliorem statum perduxisti. Si foris occasio de Bono publico merendi sive apud Antistites, sive alios Magnates, à Quibus, non propter cæcum fortunæ respectum, aut blandam assentationis (quod usuvenisse comperimus) circumventionem, verùm propter morum gravitatem, sermonis rectitudinem, candorem cordis, in rebus gerendis prudentiam, in responsis maturitatem, in consiliis perspicaciam, tantum favorem & amorem Tibi conciliâsti, ut speciali ducerent sibi voluptati Tecum conversari, Tecum privata etiam de rebus majoris momenti colloquia habere, Te consultare; aliquando contigerat, quid non moliebaris, quos non adhibebas modos, ut Tua activitate prodesse posses, hinc meritò Tibi Academia illa (m) incorporationē Jurispatronatus Scholasteriæ in Summo Posnaniensi noviter erectæ, pariter ac Oratorium ab intra sui ornatum, tum Sacra apparamenta, debet. Præterea hìc mentis benevolentissimæ & magnæ charitatis documenta, quæ in portatis aliorum oneribus, in efficaci juvamine Perillustri olim & Reverendissimo

(m) Incorporationem Jurispatronatus Scholasteriæ Ecclesiæ Collegiatæ in Summo Posnanien: illi Academiæ procuravit.

dissimo Domino M. Antonio Boiarski, Ecclesiæ Cathedrali Posnaniensis Canonico, protunc Seminarii Academico-Diœcesani Præfecto, (n) ad publica negotia & continuos pro Ecclesia DEI labores exhibito, in præstita affabilitate, in porrecta indigentibus munifica manu, sat luculenter patuerunt. Prætermitto admirandam illam patientiam ac imperfractam animi fortitudinē, quam ultra sex septimanas protracta infirmitas utinam cunctis imitandam patefecit, in qua, quantumvis vehementissimos dolores ægrô nō ferebas animô, sed conformatus voluntati Divinæ (quod summa perfectio est) cùm magis atq; magis ingravesceret morbus, omnibus Sacramentis, quæ perardenter expetiveras, munitus, ultimæ voluntatis testamentum sanus mente, quod legentes ad terrenorum despectū, ac DEUM amandum permovebat, condidisti.

Relictis itaq; copiosis solidæ eruditionis fructibus, relictis vivis magnarum virtutum exemplis, relicta vocalissima Tui Nominis resonante per majorem Poloniam famâ, in eum, ex quo missus fueras rediisti locum. Rediisti DEO sic volente feliciter, & reduci in præmiū

 tanto-

(n) Perillustri olim & Rndmo Dno M. Antonio Bojarski Ecclesiæ Cathedralis Posnanien. Canonico speciali adjutorio in magnis negotiis fuit.

tantorum laborum & meritorum cessit Collegium Minus (o) quod cum magnorum Virorum Seminarium sit, duntaxat ob minimam redituum fortunarumq; accessionem minus appellari liceat. Jam per responsionem strenuam ejus possessionem cepisti, verum exinde aliquam Te cepisse quietem, vel minùs laboribus magnis indulsisse, nemo existimet; in hac enim Regia-Jagellonis Schola non secus ac in balneo quantò altiùs ascenditur, tantò copiosiùs est sudandum. Labor in Ea compensatur labore, quamobrem Tuis humeris non modicum impositum onus, cùm vigilantissimo regimini Tuo Contubernium Regio-Jagellonianũ commissum. (p) Quanta id munus dexteritate gesseris, non est cur multîs efferam, omnes hoc facile intelligere possunt, quibus prudentia Tua in sedandis fluctuantis Juventutis motibus, summa eruditio in formandis teneris animis atq; sagax ac maturum judicium notum satis perspectumq; habetur; sufficit dicere, quòd sub Tua directione officina probitatum, bonorum morum gymnasium, palæstra artium est effectum. Augustum Tui animum semper labo-

ribus

(o) Annô Domini 1750. Collegis Minoribus annumeratus.
(p) Contubernii Regio Jagelloniani Senior.

ribûs nutrivisti, & cùm hominem otiantem monstrum esse judicâsti, sudoribûs sudores abstergens operosîs exerceri negotiîs continuò voluisti, inde est, quòd quasvis estò gravissimas functiones æternô Superûm consiliô Tibi collatas ambabùs (ut ita dicam) manibûs amplectebaris. Decanalis Purpura, (q) quæ principem inter Artistas obtinet locum, urgentibûs ultrò Philosophicæ Facultatis suffragiîs Tuos vestivit lacertos, Honor quidem authoritatis primæ, sed onus procul dubio maximum, quod tamen inter æstivos Solis ardores Tibi sine molestia portanti ferventissimum boni communis alleviabat desiderium, ac publica Rei Literariæ commoda, curarum æstus suavissimô attemperabant flabellô. Eminebas in tam sublimi dignitatis gradu, sed aureis eruditionis radiis copiosos scientiarum producebas fructus, sicq; Decanali fungebaris Honore ut eum præclarîs exornares dotibùs, solida eruditione decorares. Parum nihilominus erat Te tantîs premi oneribûs, nisi nova laboris moles in eruditum Tuum devoluta Caput pondus ponderi addidisset curas accumulâsset curis

(q) Annô Domini 1755. in Decanum Facultatis Philosophicæ concordibûs votîs electus.

curis, fortem animum nulli cedentem conatui ad graviora ferenda molimina ursisset. Ista hæc profectò præcipua est magnanimorũ gloria Virorum, quòd acerbos labores, quos timidæ solent expavescere mentes insuperabili perferant virtute, & adversus quasvis molestias imperterritum animum obfirment. Vitreus ille habetur, quem levis curarum frangit attractus; mentem Tuã solido conflatã adamante sub ferrei malleo laboris fortius consolidari, quis non novit? Quem ut onus Decanalis non fregit Honoris, sic gravis Academico-Diœcesani Seminarii cura parem & æquè firmum est experta. (r) Nam plenam solicitudinis amplexus Vice-Præfectu æ spartam, quid non egisti? quantos non tulisti labores? quantas non impendisti vigilias? quantos non suscepisti conatus? ut idonea obeundis Ecclesiæ muniis substitueres subjecta, ut usibus Sacris aptos formares Viros, ut exercitatissimum Aris, Paræciis, Stallis provideres Clerum; nôrunt Ecclesiæ, loquuntur Cathedræ, ipsiq; Templorum parietes declamare videntur.

Hæc ergo laborum, meritorum, ac eruditionis Via ad majus emeritorum de Re Literaria Viro-

(r) Vice-Præfectus Seminarii Academico-Diœcesani.

Virorum Te perduxit Collegium, (s) quod cùm ſecundîs auſpiciîs intrâſti, non ſola majoris Domus atria, ſed etiam corda Patrum habuiſti patentia. Ecquis prorſus Tuos in affectus Tuam in æſtimationem libens non iviſſet, Qui ob ſapientem, pacatam, candidam & apprimè compoſitam mentem amari, ob indefeſſum ullîs laboribûs animum omnino æſtimari debebas. Et cùm jam in Majori Domo ſtetiſti, quam quietis locum nemo exiſtimet, majori laborum motu agitabaris, & Domûs negotia pertractans, & eruditionis curſum perficiens. Vice ſecunda ſed omine Gentis Togatæ ſecundiſſimo Decanalis Philoſophici Honoris Purpura iterum in humeros devoluta Tuos, (t) eundem Te, quẽ & ante, Atlantẽ reperit, aliàs: fortem, robuſtũ, infractum. Veſtiebat Te, ſed Tu eam perfectionum ac eruditionis ſplendore magìs conſpicuam effeciſti, & re vera plus decoris ei dediſti, quàm ornamenti accepiſti. Nec iſthic Purpuratus honos aliquam in Te ſuperbiæ excitavit ſcintillam (licèt in alto poſitis nõ altũ ſapere difficile & inuſitatum ſit, ſed quantò inuſitatius tantò glorioſius;) verùm profundam animi

(s) Annô Domini 1756. gremio Collegii Majoris annumeratus.
(t) Annô Domini 1757. Decanus Facultatis adò electus.

animi auxit demiſſionem, nec rigidũ ſuperciliũ, ſed modeſtiam & affabilitatem in fovendis gratiosè Profeſſoribus confirmavit. Ad expediendũ tandem Philoſophicum deſtinatus Curſum (u) rectiſſimâ veritatis ſemitâ avidis ſcientiarum Cultoribus præcurrebas, quos ad metam non per devia ſed trito pateticæ doctrinæ itinere feliciter perduxiſti. Quis hìc incredibilem illam ingenii Tui ſubtilitatem ſatìs poterit demirari? qua abſtruſa Philoſophicarum difficultatum attingebas arcana; quis mentis acumen ſufficienter ſtupebit? quo intricatiſſimos reſolvebas nodos, & occurrentes mutuò colluctantium opinionum ſapientiſſimè controverſias dirimebas, nihil dubium, nihil obſcurum, nihil innodatum relinquens. Elucidâſti optimè claritate explicationis Tuæ, quidquid Logicalis obſcuritatis parturiit umbra, quidquid natura ex effectib9 ſuis in ſecreta occultatione abſcondit, mentis perſpicaciâ eruiſti ſolertiſſimè, quidquid tranſcendentium ratio & ſtatus entium ſupra omnia genera rerum & ſupra ipſum Creatorem evexit, ſublimitate ingenii facillimè & quaſi digitô Auditoribus Tuis demonſtrâſti.

Sed

(u) Curſum Vladiſlavianum integrô bienniô tradidit.

Sed cùm jam naturales maturo eruditionis passu percurreres scientias, Via Meritîs ac Sapientiâ trita perduxit Te ad Theologicum tractum (v) in quo, sic enixo ivisti conatu, ut à calce pervenires ad columnam. Cœpisti à Doctore Gentium Paulo, cujus Apostolicā doctrinā (x) sic vigili perspicacia explanâsti, ut ejus genuinum sensum omninò assecutus fueris. Quis autem sufficienter enarrabit eruditos ac solidos in exponendis hujus Sacræ Scientiæ arcanis labores Tuos? quis sublimem ingenii *Tui* subtilitatem satìs exprimet? Qui sive Speculativā Theologiam per Tractatus legendo, cùm isthæc omnia quæ altitudine sua captum excedunt, aut abyssali profunditate velut ingens vorago cogitationes hominum absorbent, & feliciter attigisti, & faciliter penetrâsti; sive Cursum Sacramentalem tradendo, cùm quiquid Divinis involutum Mysteriis, velatum signîs, arcanū effectibûs, ab oculis alienum, id omne planè aperuisti & velut ad sensum demonstrâsti; sive Moralem explicando, cùm, quidquid dubium, ambiguum, scrupulosum, resolvisti exactè, enu-

D clea-

(v) Ad Sacram Facultatem vocatus vigilantissimus Theologiæ Professor.

(x) Præter Epistolam ad Titum D. Pauli, præter Tractatus ex Theologia Speculativa, Cursum Sacramentalem, Moralem extradidit, Cursum Polemicum ad præsens continuat.

cleavisti apertè. sive Polemicum dictando, cùm ea singula erroribûs scatentia, privato distenta sensu, perversîs freta rationibûs, confutâsti firmiter; evidentibûs probâsti documentîs: quod nihil reliquisti intactum, superâsti ardua, elucidâsti obscura, abscondita patefecisti. Unde communi Orbis Literarii consensu citra omnem assentationis colorem omnî numerô absolutus Theologus meritò habendus. Concordi hoc confitentur voce Sacræ Religiosorũ Ordinum Familiæ, & quibus circa res Divinas quà domi quà foris solidè acriterq; disceptantem audire licuit, (y) omnes ii omnino maximas Tibi partes deferunt, ac primum inter Sapientssimos nostræ ætatis Viros locum facilè concedunt.

Hæc maxima Meritorum ac eruditæ virtutis Tuæ argumenta sufficissent profectò Tibi ad perennem Nominis commendationem, sed Tu cùm fueris sic boni publici amans, ut pro ejus salute non vires impendere, verùm enervare quoq; paratus sis; Officium illud (z) quo, utpote sub tempus Visitationis à CELSISSIMO PRINCIPE, ILLUSTRISSIMO & REVERENDISSIMO DOMINO CAJETANO

SOŁ-

(y) Publicas Disputationes permultas absolvit, & in omnibus fere Religiosorum Ordinum Conventibus expositas theses invitatus oppugnabat.

(z) Generalis totius Universitatis Procurator tempore nimis arduo.

SOŁTYK, EPISCOPO CRACOVIENSI, DUCE SEVERIÆ, EQUITE AQUILÆ ALBÆ, *Universitatis Cracoviensis longè Faventissimo* CANCELLARIO ac VISITATORE à SANCTA SEDE APOSTOLICA, & SACRA REGIA MAJESTATE DELEGATO, agitatæ; gravius non dico dari, sed ne quidem cogitari valet, cum tanta dexteritate, circumspectione ac sudulitate gessisti, ut quidquid ad integritatem Jurium Universitatis, ad majorem boni communis accessionem, ad sufficientem Illustrissimorum Visitantium informationem pertineret, sollicitè inquirere, anxiè procurare, clarè enucleare non prætermitteres. Prægrande hoc, præsertim eo intervallo curarum onus, quod ob tantam rerũ farraginẽ, ob ingentẽ gravium negotiorum molẽ, in plures experientiâ rerum insignes, prudentiâ commendatos, legũ peritos dividi expostulabat, Tu solus irrequieto tantùm conatu, mira activitate ac solerti diligentia fretus ita sustinuisti, ut Universitati gloriam, Tibi æviternam famã comparares. Cùm autem sancta Liberalitas, nõ illa tantùm quæ hominum indigentiæ succurrit, verùm etiam illa excellentissima, quæ intimè Divino Honori so-

ciatur, non modicam & apud DEUM & apud homines famæ celebritatem conciliet, ea in Te ſicut omnibus Virtutibûs clariſſimo ſupra modum eminuit. Tua Sponſa Vetero-Corcinenſis Eccleſia, vivum hujus præbet teſtimonium, quam cum ruinæ proximam lateritiam accepiſſes, majori ex parte reparatam, variîs decoratam ornamentîs pene marmoream reddidiſti.

Taceo plura de Virtutibus ac meritis Tuis PERILLUSTRIS DOMINE NEO-DOCTOR qui pauca in gratiam Tui dixi, cùm enim tam modeſtiſſimus ſis, ut rectegeſta æternitati coronanda nec commemorari ſinas, mihiq; c exhibendam multis titulîs gratitudinem, vi pro exiguo tempore officia tenerrima teſtari permiſeris, ne Tibi moleſtus evadam, gratiam enim Tuam ſummopere mihi opportunam deſidero, amplitudinem laudum Tuarum exiguâ hac coarctare pagellâ nec audeo nec volo. Duntaxat cùm Via meritis, Virtutibûs & Sapientiâ trita Te in Culmen Doctoralis in Sacra Theologia Honoris perductum veneror, inter votivos plauſus, quos Tibi non tantùm Orbis Literarii PROCERES totaq; Univerſitas, verùm etiam ILLUSTRISSIMI HOSPITES deferunt

ferunt, in vim æviternæ obligationis hæc vota dedico: ut VIATOR LAUREATUS secundo vitæ cursu sub Lauru tutus per suprema Honorum fastigia gradiare, & cùm immortalis esse nequeas; qui enim ad vitam editur ad mortem destinatur. confecto super terram longævo tractu æternæ sis gloriæ COMPREHENSOR. Preces has quousq; vixero non terminabo, impræsentiarum sermoni terminũ ponens.

VoX
CanDIDI CorDIs
proLata,
seu
VOTIVA GRATULATIO
Alumnorum Contubernii Geloniani
Programmatis, ex iisq;, *puris Anagrammatîs tum Epigrammatîs*
Perillustri Domino PROVISORI suo
EXHIBITA.
Programma I.
M. JOANNES RYGALSCIUS
SACRÆ THEOLOGIÆ NEO-DOCTOR
CONTUBERNII GELONIANI PROVISOR VIVAT.

Anv-

Anagramma I.

I.

ORIGO, CUR PIERIDES CIENT IN LONGO TONO SUO JUBILA? TANTO HONORIS LAURIGERI ACCESSU.

Quæ sit *origo? cient cur* quæris *jubila* grata?
Pierides, Summi pignora cara Jovis.
Omnes *accessu tanto* lætantur *amœnæ*
Laurigeri, cujus fertur *honoris* Apex
Imprimis CLIO voces attollit ad astra
In longoq; tono jubilat ore *suo*.

Applaudit Joannes Woiucki, Ensiferides Nurensis.

II.

HIC VIR, SCIO IN EO (ROGO) CLARUS, IN ÆTATE, DOCTRINA, IN EO PIO AMORE, BEINIGNUS, GRAVIS, LÆTUS, NOLO

EUTERPE sensu, perpendens facta decora,
Eminet *hic in eo Vir scio* dignus adest.
Clarus *doctrinâ* nitet, et *ætate* colendus
Est *in eoq; pio* clarus *amore PATER*
In probitate *gravis*, *lætus* sed corde *benignus*
Jam *rogo* non dicam *nolo* molestus Ei.

Applaudit. Franciscus Bartoszewski, Ensiterides Minscensis.

III.

III.

GLORIA GENTIS NOSTRÆ INI DECUS PRO CUJUS HONORE CONTINUO LA BORAS ORE CALAMO EI VIGINTI.

GLoria VIR *Gentis noſtræ, pro cujus honore*
Continuò calamô (Muſa THALIA canit)
Dotibûs inſignis virtutibûs, *ore laboras*
Fama Scholæ Regni creſcat ùt altus honos.
Prodes *ei* plusquàm *viginti* VIR probus annîs,
Ergo *decus* teneas, omina ſor tis *ini.*

Applaudit. Joſephus Charſki, Enſiferides Livoniæ.

IV.

GRATIA DEI EST NOMINE, ERGO CÆLI BONA HUIC OPTO VIRO, ORO, RIVUS LONGIS ANNIS CRESCAT, VÆ NOLI.

G*ratia* celſa *Dei* (quod portat) *Nomine*]Doctor
Eſt, ergo Cœli munera, dona *bona*
Opto Viro, tum *rivus huic* fundatur honoris,
Et *longîs annîs creſcat* in Orbe diu.
Melpomene cantu dulci *væ* dum premis atrox
Præclari *noli* facta tacere VIRI.

Applaudit. Alexander Strzelbicki, Subdapiferides Podoliæ.

V.

V.

POSNANIA ESTO LABORUM, IRRIGUIS VIR LAURIS DIGNE, HÆC ORNATO ELOGIO SINE NÆVO CECINIT OCTO.

Nunc teſtis *Poſnania* verax *eſto laborum*
Laurîs irriguîs Digne VIR eſto Tui.
Elogiò celebrans *ornato* Te *ſine nævo*;
Hæc cecinit quòd ſis candidus atq; probus.
Hæc inquam cecinit, quòd ſis perfectus ùt *octo*,
Terpſichore plaudens præbet huicce fidē.

Applaudit. Thomas Szczepanowſki, Pocillatorides Novogroden:

VI.

JO TEMPLA! JO LECTORIA! VIÆ CATHEDRÆ NARRANT GRAVES EJUS IGNI NISUS, UBI SIGNO, CORONO, COLO.

Divulgant *Jo Templa* Deûm *Lectoria* laudant,
Horū quòd SPONSUS, DOCTOR amandꝰ ades.
Jam ſolenne *viæ Cathedræ* clamant *Jo*, *niſus*
Et docto *narrant ejus* in Orbe *graves*.
Aſt *ubi* collaudans velut *igni* facta probata;
ERATO dicit: Eum *ſigno*, *corono*, *colo*.

Applaudit Joſephus Strzelbicki, Subdapiferides Podoliæ.

VII.

II MAGNATES, PRÆLATI, CLIENTES CORDE SUI VI HONORE CORONANT, I OS, LINGUÆ ROBUR VOCIS SONO AGI.

I *linguæ robur*! narres *os* Nominis amplas
Laudes, Quem toto pectore cernis, *ii*
Magnates digni *Prælati*, *corde coronant*,
Atq; *Clientes*, qui laudis *honore* nitent.
Appretiantq; *sui vi*. clara *POLYMNIA vocis*
Arte *sonô* plenô convenit (inquit) *agi*.

Applaudit Joannes Szczepanowski, Pocillatorides Novogroden

VIII.

VENI CORONA LEGI CONSONA, CÆLI DOMINUS TRIBUAT ISTI VIRO EGREGIO LÆTOS ANNOS HAURI, CREPO.

Altam cùm frontem præcingit *consona legi*
Præstò *Corona* Tuam, cara Camæna veni.
Hauri conceptus, ac *annos* poscito *lætos*
Isti corde *Viro* dotibûs *egregio*.
Cúi *Dominus Cæli tribuat* faustissima quæqué
URANIE *crepo* nunc plausibûs ore sonos

Ignatius Strzelbicki, Subdapiferi des Podoliæ.

IX-

IX.

TRIA EI UNI: ANNOS HONORES, SALUTEM EGO OPTO, DUC, GLORIOR EJUS GRATIA BINIS NILI, I CORNU CÆCÆ.

Hæc *tria* Cultor Ei supplex *ego* cælitus, *opto*,
Gratia Te repleat Numinis ampla *bonîs*
Duc felix *annos*, longævam ducq; *salutem*,
Ejus dona precor, Qui regit astra Poli.
Summi distinguant, ornent Te semper *honores*,
Militet ac *uni* gloria fama Tibi.
I cornu cæcæ fortis! tuus impetus exsit!
Non temerare queas, nonq; ferire VIRUM.
Glorior en Cultor, quòd Te prmiseris isthôc
Officiô calamô concelebrare mihi.
Tamq; diu vivas donec PATER ostia *Nili*
Manârint, opto CALLIOPEq; vovet.

Thomas Irowski, Colonellides
Exercitûs Regni.

Programma II.

IOANNES IOSEPHVs rIGaLsCIVs, NEO-DoCToR, sIT pLenVs CæLestIbVs gratII-PROSPER AC VEGETVs VIVat DIes SERE-NOS sINE nVbe; sIngVLI preCantVr.

Ana-

Anagramma.

VIr IsTE BONO PVbLICoVERE NATVs, RES IPSA SENSIT, CANDORE POLLENS, HIC VNI-VERSIs GRATVs, VIGEAT SOSPES, ITA PRE-CEs VRGENT: VENI sIs CÆLO DIGNVs.

CAnas nunc Muſa laudes iſtius VIRI
Quales meretur virtus, ac ejus labor
Vir iſte verè natus publico Bono
Candore mentis. *ſenſit ipſa res,*
Dum pro labore virtus Laurum fert Ei.
Hic univerſis gratus vigeat, poſcimus.
Ac *ita* ſis *ſoſpes* annîs, hoc *urgent preces.*
Veni VIR Magne, *ſis Cælô dignus* vovent.

Omnes & ſinguli
Devinctiſſimi Contubernii
TUI Alumni.